

19.

D. D.
DISSERTATIO GRADUALIS,
DE
**PERVERSO
FAMÆ STUDIO;**

Quam

*Consentiente Ampliss. Facult. Philos.
in Regia Academia Aboensi,*

SUB PRÆSIDIO

*Maxime Reverendi VIRI,
DOMINI*

**MAG. JOHANNIS
HAARTMAN**

Philes. Theor. Prof. Reg. & Ord.

Facult. Phil. h. t. Decani Maxime spectabilis

*Publico Candidorum Examini
subjicit*

GUSTAVUS C. FABRICIUS

O. Botniensis

In Audit. Max. ad diem D. V. XXIV. Maii

MDCCXXIX.

Horis ante Meridiem solitis.

ABOÆ , Literis MERCKELIANIS.

REVERENDISSIMIS
PATRIBUS
Dn. LAURENTIO
TAMMELIN,

Dioceſeos Aboensis Epifcopo Eminentissimo,
Academiæ ibidem PRO-CANCELLARIO
Magnificentissimo, Venerandi Consistorii
Eccles, PRÆSIDI Gravissimo,

MÆCENATI

Jam diu anticipti cogitationum cura
non summe audacie videretur, quod
VERENDISSIMI, NOMINA VESTRA
vos colam, quoquo poffim modo, per
omnibus jugiter prædicanda gratia ac
mente oro & obtestor, velitis sim-
quem summa cum devotione depono,
multos! floreatis venerabunda mihi

Cliētes Vestros

REVERENDISSIMORUM

Cultori
Gustavo

IN CHRISTO
ac DOMINIS
Dn. JOHANNI
GEZELIO,

Dioecesis Borgoensis Episcopo Eminentissi-
mo, Ven. ibidem Consistorii PRÆSIDI
Gravissimo, Reg. Gymn. EPHORO
adcuratissimo.

BUS MAGNIS.

incertus fluuiavit animus meus, an
vilissimis bisce paginis PATRES RE-
præfigere sustinuerim. Verum, ut
mittere videtur summa VESTRA ab
humanitas. Venerabunda itaque
plicem hunc cultus mei indicem,
accipere. Vivatis, in annos bene
nomina! mibique vel infimum inter
concedite locum

NOMINUM VESTRORUM

humillimo
Fabricio.

Maxime Reverendis atque
minis, s.s. Theol. Pro-

Promotoribus

*Non possum non , VIRI MAGNI,
ciorum affatim in me congestorum,
tione in mente versantur , hancce
minibus, non ex suo pretio , sed ve
bumillime rogans , velitis sereno
favore*

NOMINUM VESTRORUM

Humillimam

Gustavum

Amplissimis Viris, ac Do-
fessoribus Celeberrimis.

Certissimis.

*cum Vestrorum in memoriam benefi-
redeo, quæ mihi cum grata recorda-
dissertatiunculam Vestris servare no-
nerabundo meo animo estimandam,
suscipere vultu, meque solito Vestro
prosequi*

AMPLISSIMORUM

Cultorem

Fabricium;

Plurimum Reverendo & Doctissimo VIRO,

**Dn. JOHANNI
STENSTRAND,**

*Ecclesiæ Ijoensis PASTORI longe
meritissimo.*

Plurimum Rever, atque Eruditissimo VIRO,

Dn. GABRIELI LAURÆO,

*PASTORI in Loimjocki multo vigi-
lantissimo.*

Spectatissimo VIRO,

Dn. DANIELI HEDBERG,

*Metropolis Holmensis Mercatori perindu-
strio, Fautoribus & Evergetis jugi obser-
vantia prosequendis.*

*Disputationem banc in memoriam accepto-
rum beneficiorum officiose offert*

Auct. & Resp.

A Monsieur le Candidat

GUSTAVE FABRICVS

Sur sa savante Dissertation de l' Etude
pervers de la Renommée.

O D E.

C' est en recommandant, à une ame bien née,
L' etude sérieux, d'honnête Renommée,
Et immortalisant de sage le vrai nom,
Que d'un vrai Philosophe on s'aquistet le
renom.

De ceux qui n'ont aucun souci de bonne estime,
On peut voir, & venin, & fausse maxime,
On peut voir, les Neuf socurs, & le docte
Apollon
A bon droit, les banir, du j'avant Helicon.

En faisant remarquer, avecque exactitude,
La cause, & l'origine outrée d'une étude,
Aussi perverse que fainte, on peut aperce-
voir,
Une foule de gens, sans fond, & sans
savoir.

En

*En faisant voir la folle, & la vaine manie,
D'une ame medisante, & d'un mauvais
genie,*

*L'on peut bien rapporter detours, moyens
divers,*


*Dont mains, & mains Mortels empestent
l'Univers.*

*L'Etude de Satan fut toujours une peste,
Aussi pernicieuse aux humains que funeste.*

*De Lauriers, ornera Minerve notre Au-
theur,*

*Car ses doctes travaux meritent tel
bonneur.*

JACQUES DE L'EGLUSE.



Conspectus Operis.

- §. I. Honestæ fame studium commendat.
- §. II. Eorum perversitatem perstringit, qui nulla bonæ existimationis cura tanguntur.
- §. III. Originem & causas perversi fame studii indagat.
- §. IV. Ostensio quid sit ineptum fame studium, varios modos, quibus ad eum pervenire laborant mortales, enumerat.
- §. V. Mala & incommoda, quæ exinde in huminam societatem redundant leviter tangit.
- §. VI. Colophonem tractationi imponit.

P R A E F A T I O .

Cum non eandem omnes ad nominis adsequendam claritatem ingrediantur viam; sed quidam laudabilem virtutis tramitem recta via sequantur: præclara eruditionis, pietatis, fidei, vigoris & alacritatis in rebus gerendis edendo documenta. alii malis etiam artibus sub specie honesti, famæ suæ consulere, non una ratione studeant; hinc sponte sua fluit, *nominis famam esse vel vere honestam, vel apparenter talem* *illa* est laus recte factorum, magnorum præser-tim in Ecclesiam & rempublicam meritorum, re omnino vera alicui competens, optimi cujusque, omniumque recte sentientium testimonio comprobata. *Hæc* vana quædam & falsa est gloria; assentationibus parta & persuasionibus subdolis deinde ad-aucta, quibus imperiti rerum & vulgus sibi imponi passi sunt. *illa* virtutem habet du-cem atque comitem: *hæc* virtutis est expers, & vel umbra est major corpore, vel ejus duntaxat ficta imago. *illam* commendamus quam maxime; *banc* vero sedulo esse vitandam existimamus. Etenim qui per-versum

versum & præpostorum in modum, vel in-
justis aliquando laudibus, vel insana alio-
rum obtrectatione famam aucupantur, non
certe veram honestæ famæ laudem conse-
quntur, sed umbram captant pro corpore,
nubem pro Junone h.e. quoddam ejus simu-
laçrum ac inanem speciem eamque cadu-
cam, fluxam & instabilem. Hæcque est
cauſa quod hac occasione jam *perversum*
fame studium perstringere conati fuerimus.
Vitia autem cum carpimus, nullius perso-
nam lœdere animus est; proindeque tuam
tanto magis L. B. præstolamur æquanimi-
tatem.

§. I.

Cum propositum nobis sit pro modulo
ingenii turpe illud & immoderatum,
quod in quibusdam se exserit, celebri-
tatis & inclarescendi desiderium, brevibus
delineare, & juxta canonem Philosopho-
rum tritissimum: *Opposita juxta se posita*
magis eluceant; placet in antecessum bre-
vissime de præstantia ac necessitate laudabi-
lis circa sui existimationem curæ differere,
ut sic fœditas & turpitudo excessus in vitio
opposito clarius patescat. *Quemadmodum*
illis, qui alicujus infamiae crimine notati
sunt, omnis ferè facultas res quascunque

honeste gerendi eripitur, ita famæ integritas latissimam nobis aperit fenestram ad præclara facinora in societate civili patranda. Immo hac non solum ipsi homines vehementius incitantur ad eximia & laudabilia opera continuanda & frequentanda de virtutis testimonio publico solliciti ; verum etiam alii, quibus ingenuum indidit pectus faatrix natura, ad parem laudis spem, claris virtutibus æmulandum, horum invitantur exemplo. Certe ipsi naturali indoli vim inferremus, si omne, utut innoxium, laudis ac famæ augendæ desiderium ex hominum consortio vellemus sublatum. Novimus enim, quod, prout affectus comitentur naturam humanam ad vitæ usq; extremum, & extirpari penitus nequeant; ita honestum famæ studium intimis præcordiis infixum hæret. Et licet fatendum sit, nihil tam pulchrum & præclarum esse, quod non utentium pravitate, vitium contrahere possit : bonæ tamen existimationis cupido, quam virtus annexa, immoderatam esse non sinit, per se semper bona, honesta & laudabilis est. Tenerimum integritatis famæ studium, etiam Isocratis hocce commendat effatum, cedro dignissimum : *Plus tibi curæ sit ut honestam famam quam divitias ingentes liberis relin-*

relinquas, nam immortales sunt; illa vero immortalis, & per famam comparari opes possunt, nunquam vero opibus fama redimitur. Huc pertinet hocce lsoaori Pelusio-
 te (a): *Bona existimatione melius ac prestantius nit est: nec Cræsi thesauros quisquam cum ea comparaverit.* Tales enim esse cen-
 semur, qualis fama cujusque est; huic
 aures, huic intenduntur oculi. *Melius o-
 mnibus quam singulis,* ut loquitur Plinius (b),
 creditur, singuli enim decipere & decipi pos-
 sunt; nemo omnes, neminem universi fefel-
 terunt. Ergo rectissime Poëta: (c)

*Ute fama est homini, exinde soler pecuniam
 invenire:*

*Ego si bonam famam mihi servasso, sat
 ero dives.*

Et quid tandem? si rectam corporis consti-
 tutionem, ingens à natura bonum reputa-
 mus, cur, quæso, famæ integritatem de-
 spicatui haberemus, cui bonorum externo-
 rum æquiparari nihil omnino potest, quæ se-
 mel amissa recuperari unquam nequit. Re-
 ctius judicant, qui inter omnia virtutum
 præmia maximi famam nominis æstimant,

A 3

quæ

(a) *Lib. 3. Ep. 142.* (b) *In Paneg. ad Traj.*
sub fin. c. 62. pag. m. 72. (c) *Plaut.*
Mostell. Act. I. H. 3. v. 10.

quæ non solum tollit ignobilitatem, egestatem sub'evat: sed etiam vitæ brevitatem posteritatis memoria consolatur: Nos merito omnibus honestum ejus studium curæ esse debere censemus, non doctis modo, sed & indoctis: non iis tantum, qui regnorum maximorum gubernacula moderantur, sed & quibus obsequii gloria relicta est. Danda tantummodo est opera, ne orbitam suam deserat hic affectus. quam in rem præclare differit Clariss. Jac Thomasius, cujus proinde verba digna judicavimus, ut hic adscribantur (*a*) *Iraqe nostræ glorie non inhabendum est nimis, sed ab ejus titillatione abducendus est animus diligenter, inque illum Oceanum, unde in nos bonorum omnium rivuli defluunt, exoneranda mentis desideria.*

§ II.

Novimus quoruadam perficitæ frontis homuncionum execrandam vesaniam, qui nullo *ένδοξως* affecti amore, omni subsequentis temporis cogitatione abjecta, cum Cynicis, Stoicis, Epicuro aliisque, (*b*) ne tantillum quidem curant, quæ de ipsis futura sit opinio. Mihi vero non mitiori, poena dignus videtur, qui famæ integritatem

(*a*) *Ihom. progr. XII.* (*b*) *Ihom. progr. XII.*

tem profundit, quam qui facultates & pos-
sessiones consulto perdit suās. Etenim ad
instar vespertilionum lucem fugit, & cum
possit inclare cere, suapte voluntate in ob-
scuris latebrarum angulis hæret. At quid
est hic, quæso, nisi abortus in hujus lucis
usuram projectus? Delicatulorum horum
impudentiam, qui sua de se opinione so-
lummodo acquiescentes, aliorum judicia
flocci faciunt, graviter taxat Cicero (*a*)
Negligere quid de se quisque sentiat non so-
lum arrogantis est, sed etiam omnino disso-
luti. Egregie Augustinus: *Qui famam ne-*
gligit crudelis est; nam crudelitatem illam
exercet partim erga se ipsum, quum sibi hoc-
ce modo publico inserviendi facultatem a-
dimat, adeo ut mortui membra subeat ra-
tionem: partim in amicos, quibus auxilio
& adjumento esse posset, ni famæ fecisset
jacturam: partim in totam sororitatem, cui
operam suam commodare posset ac debe-
ret. Hinc Divus Ignatius cum multas ca-
lamitates æquissimo tulisset animo, calu-
mniam, quæ honorem tetigisset ejus, pati-
noluit, sed illius reum, eandem revocare
coëgit, quia claudus, æger & nudus posset
servire ecclesiæ, infamis non posset. Hinc
est,

(*a*) *Off. Cic. Lib. I. cap. 28.*

est, quod Drexelius (*a*) æque grande esse crimen videatur innuere: aut immuinuere famam, aut rapere. Qui enim famam perdidit, multum sui victus, plurimum honoris sui amisit. Jam negligitur, alioqui ad dignitatem provehendus; jam contemnitur, alioqui venturus in Magistratum; jam deseritur, alioquin à multis juvandus. Cui semel calcatur fama, mille mortibus cadit, & ad singulos auditores nova cæde funestatur: sæpe dicta factaque narrantur, quæ nec dicta, nec facta, nec cogitata sunt unquam. dubia pro certis, falsa pro veris, conjectanea pro compertis habentur, singulique tales sunt, qualcs sibi prona fingit suspicio, quæ dum vera non invenit, falsa comminiscitur, contenta læsisse. hæc ille. Singulare est quod de quibusdam veteribus Philosophis observamus, quod, quæ *verbis* & *theoria* inculcarent, ipsa praxi refutarint. De Epicuro in primis constat, tam insana eum æstuasse gloriæ siti, ut non modo abnuerit ullis se usum præceptoribus, verum etiam vanissime gloriatus sit, nullum existisse sapientem extra se suosque discipulos. Paria de ceteris, si locus esset, probari possent.

§. III.

(*a*) *Orbis Phæt.*, c. XVI. pagina mihi 656.

§. III.

Sed rara horum dantur exempla, qui emergendi & inelarescendi penitus curam abjiciunt, in primis si cum eorum numero conferantur, qui insano famæ propagandæ æstu abripiuntur; hac namque pestifera tabe mortalium partem longe maximam infectam esse, vel nobis tacentibus, quotidiana quemvis condocefacere potest experientia. Ut itaque promissi fidem, quam fecimus, de repræsentanda qualicunq; immoderati circa famam studii imagine tandem liberemus, in originem & cauſas ejus pro scopi ratione inquirere animus est. Cauſam ejus primam Philosophia quidem ignorat, in solis quippe sanctissimi divini verbi scriniis perfecte iave niendam. Tradunt nimirum sacræ literæ, statim post rerum creationem primos nostros parentes exitioso peccati veneno, per genii infernalis fraudem infectos, illudque in posteros una cum mortis æternæ reatu per generationem naturalem propagatum. Hæc est illa naturæ nostræ corruptio profundissima, illa venenosa radix & connata hominibus labes, quæ omnium pectoribus ad mortalitatis usque exuvias intime insidet: quæ,

prout nunquam est otiosa, sed pravarum quārumvis cupiditatum, libidinum, scelerum, flagitorum fœcunda mater, ita hujus quoque pravi affectus, quo nominis claritatem virtutis expertem stolidē expetimus, merito fons ac caussa salutatur. Inter notiores autem caussas est *vana ambitio*; quam non invenuste divus Bernhardus, *subtile malum, secretum virus & originem vitiorum* appellavit. Quorum enim hoc virus animos efflavit, ut nihil anxie magis exoptent, quam ut aliis imperent & ceteris digniores excellentioresque videantur, ino & reverentiam, laudes ac encomia omnibus votis expetunt, ita famæ celebritatem ardenti quodam & insatiable desiderio sectantur, ab omnibus digito monstrari volentes. Hinc videmus decori in primis studio ipsos duci, quod hoc ad existimationem apud alios conciliandam quam maxime pertinere credant. Quosdam adhanc eandem vanitatem species quædam *ignaviae* impellere videtur: Quum enim aliis inferiores haberi æquo haud quaquam animo ferant, & per inclementem salebris sentibusque refertam virtutis viam, ad famam pervenire molestum sit, hinc leviori defuncturi labore, ejusmodi rationem famæ parandæ ex-

excogitant, quæ quam minimis impedita difficultatibus sit. Quantum præterea per vitia educationis, ad illicitas & perversas emergendi artes tenelli animi trahantur, & consuetudine quasi insana, in hocce malo famæ studio confirmentur, res est notior, quam ut multis id verbis demonstrare necesse sit. Plurimum, aliorum exempla, cum vident viros fama, eruditione, auctoritate florentes, per media non usque quaque honesta tantum fastigium occupasse, huc conferre quemquam neque latere potest. Quæ denique natalium certique status, E G. nobilitatis & temperamentis seu constitutionis corporis hoc in puncto vis sit, brevitatis lege sic jubente nihil nunc attinet dicere.

§. IV.

Quid autem immoderata fame cupiditas nobis denotet, ex dictis jam forte satis superque constare existimo. nimirum assiduam avidamque, mentis cum imperu & voluptate aliqua, factam applicationem, ad imaginariam quandam persuasionem de suarum virtutum & meritorum præstantia, in animis multitudinis per media, honestatis semitam

deserentia vel confirmandam vel ingene-
randam. Hinc simul constat studium hoc-
ce, modo ad famam inepte conservandam,
modo quoque acquirendam tendere. Quod
enim ad prius, videmus quosdam tam te-
nero existimationis sensu tangi, super le-
viculas & nullius momenti injurias, quas
sapiens & qui non in levissimorum homi-
num opinione, sed suæ virtutis consciен-
tia honorem collocat, ceu canum latratus
præteriret ac sperneret, exsuperanti bile
effervescere, ut maculas illas nonnisi illius,
qui injuria affecit, sanguine delendas exi-
stiment. Id quod juventuti, cumprimis
in isto suæ ætatis ardore familiare est, qui
ac si per unam quamque vocem fama im-
minueretur, statim in arenam condescendunt,
manum capulo aptant, generis sui con-
sortem trucidant, ceu cædes sæpe tristissi-
mæ, & clarissimarum orbitates familiarum
satis comprobant. Quæ autem posterioris
ratio sit, si ostenderimus, quibus modis
stolidi isti famæ acquirendæ candidati ejus
facere aucupium soleant, patebit. Scili-
cet alii imperiis per fraudes, dolos, bella
injusta & truculentissimas strages amplifican-
dis, variis gentibus subjugandis, vastandis
regio-

regionibus, urbibus, viciis, pagis incen-
dendis, sunt intenti, hocque magnum sibi
nomen parituros putant. Quidam se idem
obtenturos arbitrati sunt, si spectacula in-
gentibus sumptibus apparata, populo exhi-
berent; Pyramides, Mausolæa sumptuosissi-
ma exstruerent: quibus tamen omnibus vir-
tute cassi, nihil fere præstiterunt aliud,
quam ut stultitiæ suæ splendida posteritati
monumenta traderent. Nec defuere, qui
per enormia ac manifesta flagitia celebres
fieri laborarunt. Sic Horostratus ille im-
mortalem sui memoriam posteris relicturus,
templum Ephesinæ Dianæ incendi cœpit
consilium. A cuius sententia non multum
discessit Pausanias Macedo, nobili stemmate
ortus, qui, quo subito clarus evaderet,
commisso in ipso patræ patriæ execrando
parricidii criminè, manus suas polluere
præclarum duxit. Ob divitias quocunque
modo corrasas, nonnulli laudibus extolli
desiderant, sic ultro confitentes, se ne ul-
lum quidem veræ laudis gustum habere.
Hinc quotidie cernere licet, quomodo hu-
jus generis homines ob suas pretiosas vestes,
alios dignitate æquales, fortunis vero infe-
riores fastu plusquam Hispanico conte-

miant, ut denique ædificiorum splendore ac magnificentia ceterorum humilibus tectis insultent, quum his de caussis se aliis longe illustriores opinentur. Tandem haud pauci sunt, qui stulta eruditionis, quam superficiariam dicimus, persuasione sibimet ipsis imponant, ac si cœlesti quodam, planeque singulari animi vigore, scientiæ omissis exhausissent latifundia, ac ob id encomiis ornari cupiant. Alii aliis artibus auram captant popularem. Ceterum vel ex hisce enumeratis emergendi rationibus cuivis fere constare poterit, quam inter alia vitia, hæc male sana famæ cupido & Deo adversa & reipublicæ sit etiam noxia ac perniciosa, quod ipsum ut melius adhuc pateat in sequenti Thesi paulo latius id nobis est deducendum.

§. VI.

Sunt autem mala ista atque incommoda haud sane levis momenti, sive imperantium ordinem, sive illorum, quibus parandi gloria relicta est sola, sive etiam utrumque simul respicias. Nemo namque, ut à postremo ordinar, facile iverit inficias,

vir-

virtutem, si in ejus cultu amicè conspirent Principes & subditi, pro præcipuo felicitatis civilis fundamento, reputandam esse; quum dici vix possit, quantum ad civitatis incrementum ac florem conferat; jam vero, qui ea, quam huc usque descripsimus, ratione famam sectatur, & honestatem susque deque habet, annon societatem humanañ præcipuo suo præsidio privat, hocque gravissima certe injuria afficit, sive princeps sit, sive etiam civis. Hinc quoque fluit salutis communis neglectus. Ex instituto quidem supremi legislatoris, omnes, qui in societatem coiverunt, ad commoda publica præ privatis provehenda obligantur: Ubi vero venenum hocce mentis semel infecit, salus communis insuper habetur, omnisque cura ac cogitatio, quæ Reipublicæ debebatur, eo confertur, ut imperium modo & optata famæ celebritas obtineatur. Quod autem in specie ad gubernaculorum imperii Moderatores attinet, unde quælo, tot in variis rebus publicis, tyrannicæ vexationes, absolutæ dominationes, nescio quibus artibus, comparatae, bella interneçina, sanguinisque civilis non necessariæ effusiones? plurimæ certe exinde, quia iidem

gen-

gentium domini stolide sibi suadent, hac
demum ratione, vel comparati vel saltem
conservari gloriosam sui memoriam posse
quam rectissime. Hac enim de causa sit,
ut levi exorto vicinos inter dissidio, non
pax aut alia quælibet amica disceptandi ra-
tio prius tentetur, quam truculento Martis
arbitrio res permittatur. Exempla ex hi-
storia in promptu sunt: annon famæ ista
aviditas in Alexandro Magno efficit, ut
nihil progrediendi & miseros homines tru-
cidandi furorem, nisi fatalis rerum huma-
narum terminus, extingueret. Non mi-
nora hæc cacoëtes in civibus flagitia parit.
Multos enim impellit ad majora speran-
dum, quam capere possunt, ut summos,
imo regios etiam affectent honores, eum-
que in finem aliorum honori atque vitae in-
sidentur; quemadmodum etiam hocce ho-
minum genus ad res innovandas, turbas
ac tempestates concitandas, prouum ac
propensum esse solet. Ceteris præterea ci-
vibus ac æqualibus suis intolerabiles fere
existunt, cum immoderata existimationis
cupidine fascinati, laudibus & encomiis a-
lios omnes vincere nitanrūt: ita ut, si quis
alii, ipsis licet longe digniori contingat
ho-

honor, lippientibus semper oculis aspi-
 ciant. In religionem porro injurii sunt
 fucatae famæ studiosi. Prudentibus enim
 dudum, observatum est, non aliam ob-
 causam vel Atheorum in orbe literata,
 vel Hærefiarcharum in ecclesia, turbam ex-
 stitisse tantam, quam quod ingenii laude
 novis suis inventis cluere gestierint, errori-
 busque deinde nuncium remittendo, quo-
 rum fuere convicti, existimationem suam
 maculis contaminari crediderint. Tandem
sibimetipsis quoque injuriam inferunt, eo
 quod debitam ingenio culturam denegant,
 id quod illi cumprimis faciunt, qui se
 posse arbitrantur per pravas artes & Machi-
 nationes, famæ adipisci celebritatem. Vel
 si cura quadam animi excolendi tangi vi-
 deantur, ardua difficultique ad eruditionem
 solidam, via spreta, inanem quandam
 doctrinæ ac scientiæ umbram, quæ splen-
 dida vanitate rudioribus imponat, inque
 eorum animis singularem sapientiæ opinio-
 nem excitet, amplectuntur. Quid ex his,
 ubi publicorum munerum functionibus ad-
 moventur, respublica sperare utilitates ha-
 beat, cordato cuivis homini judicandum
 relinquon. Postremo, sufficit verbo mo-
 nuisse, rixas & certamina, inter literatos,

convitiorum dictoria ac scomatum plaustra,
quæ non contracta sane manu in eos , quos
sibi fingunt sæpe adversarios , congerunt viri
cetera non indocti , ex eodem fonte arces-
sendos esse.

§. VI.

Atque hæc sunt , quæ de hoc argumen-
to pro modulo ingenii in medium proferre
voluimus, ad cuius ampliorem expositionem ,
quamvis ingenue fatear multa adhuc pos-
tuisse adduci: tamen nec temporis ratio ea
colligere, nec collecta publici juris facere ,
familiaris rei angustia permittit : licebit
vero id nobis de benevolentia tua , C. L.
sperare, ut quæ minus concinnè atque or-
natè adducta sunt , serena fronte accipias ,
& in meliorem omnia interpreteris partem .
Vale & fave.

Gloria S. S. Triadi æterna,



Fågne - Rím

Lil

Philosophiae CANDIDATEN,
Herr GUSTAV FABRICIUS,
Så han uti Kengl. Academien i Åbo Pro
Gradu berömligen disputerade

Om

Wiång Begärighet efter Namin och Rychte.

Thet finnes mången dåre til /
Som genom odygđ staffa wil
Sig Namin och Rychte uti werlden :
Når han ej kan här göra väl /
För thet han är en odygđs trål /
Så far han dårligt fort med flärden.

Exempel therpå har man nog /
Them man med största skål och fog
Kund räkna up och namnen nämna /
Som aldrig bättre hafwa giort /
Än om Herostrato man sport /
Thet man doch thenna gång wil lemna.

Mot thet godt Namin och Rychte är /
Then bästa skatt man hafwer här /
Och hwar en bör sig ombeflita /
Med dygd och allan årbarhet /
Upriktig tro och redlighet /
Then hwar man säkert kan pålita.

Då

Då är man trygg och fast som berg/
Och ändrar aldrig hy och ferg/
Fast Theons tand och småde-tungor
Lik som spyflugan / spy förgifft /
Uf sielwa småde-andans drift:
Doch afwund tår theſ egnas lungor.

Han Momus länge vara må /
Han Zoils fall må förestå /
En Battus , Mævius han heter:
En tadlare och åre-tiuf
I löndom gal lik som en Uf:
Får se om han theraf blir feter.

Hårom erk wackra Werck nu är /
Herr CANDIDAT , sielf FAMA lär
Ert Rychte / Lof och Namn utsprida:
Hon lär ock gifwa Pallas bod /
Gåmwål the Muser thetta råd /
At the nu Krantzen Ehr må gifwa.

I hast lemnaðe

Uf

JOH. M. GRÅU